

[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the majority of the page. The text is arranged in several columns and includes some red initials and underlines.]

Communicata
in decem



M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. v. Maxß
1831 oho

DE PRIMIS PAREN-
TIBVS LAPSIS ET RECEPTIS A
DEO INTERCESSIONE FILII:
 &, de mirabili Ecclesiæ conseruatione per
 Christum resuscitatum à mortuis,
 Carmen elegiacum,

SCRIPTVM

A

MARTINO ALBRECHT
NISSENSI,

VVITEBERGAE,

1558.



NOBILITATE GENERIS, ERV-
ditione, sapientia & uirtute præstanti uiro,
Domino Hippolyto Tschernin Ca-
pitaneo Nissenfi, Domino & Pa-
trono suo perpetua obser-
uantia colendo,

S. D.

Aeta resurgentis redeunt iam tempora CHRISTI,
Pascatis & magno munere clara dies.
Anua Solis iter reuolutum gaudia nobis,
Vel toto afflictis rebus in orbe, refert.
Omnia uiuificat rursus nascentia terris,
Carceris obseruat dum loca certa sui.
Sere nouo capiunt herbæ uitamq; priorem,
Prodit & ex tepido mortua planta solo.
Im Christus surgit, prostrata morte, sepultus
Nos caput ut secum membra sepulta trahat:
Omnia lætantur: teneri floresq; resurgunt,
Quos rigidum letho ceu dedit antè, gelu.
Incta resurgentem celebrant ita condita Christum,
Viunt hoc uiuo quæ nouus orbis habet.
Imper ad hoc festum sacrae venerabile turbæ,
Et molles violas hortus amœnus alit.
Sed ubi purpureum fragranti gramine prata
Vestit, & his violis plurima terra nitet.

Mystica

Mystica sunt, stabilis naturæ hæc optima facta.
Omnia quæ sensu sunt meditanda pio.
Nos igitur natos discendis talibus omneis
Attentis animis hæc meminisse decet.
Quippe monent hominem varijs de rebus: & esse
Æternam mentem quæ regat istud opus.
Nec modo debemus grata cognoscere mente
Quæ natura facit mira, ciente DEO.
Sed, quod præcipuum est, celeberrima munera semper,
Regnantis Christi tollere laude noua.
Hic voluit quod ouans a morte resurgere victor,
Et nostra causa vel graue ferre iugum.
Nos peccatores quod triste subire cœgit,
Ingens peccati, dum malè pressit, onus.
Hoc genus humanum perijisset pondere, si non
Per talem Dominum reddita vita foret.
Hæc nos æquali viuentes pendere lance,
Sæpè decet motos hac bonitate DEI:
Nec tamen hoc ipso contentos viuere: iusti
Sed celebrare DEI cætera facta simul.
Omnibus, & cuius miracula tanta, diebus,
At magis hoc Festo sunt memoranda die.
Et quia lex homines diuina hæc obligat omneis,
Vt notum laudent corde timente DEVM.
Sponte mea volui morem gessisse decentem,
Et grates memori mente referre DEO.

A ij Hoc

et commodius facerem, scripsi breue carmen
Temporis hac tota pro ratione sacri.
Non multos versus Tibi, vir Generose, benigno
Dedico, pacata quos rogo fronte legas.
Conatumq; probes iuuenilem; forsitan olim
Mens exulta, Tibi carmina plura dabit.

G. T.

addictis:

Martinus Albrecht
Nissenfis



Hoc

DE PRIMIS PARENTIBVS LAPSIS

& receptis à DEO intercessione Filij: & de mi-
rabili Ecclesiæ conseruatione per Christum
resuscitatum à mortuis,

CARMEN ELEGIACVM

MENS æterna Deus celsi fabricator Olympi,
Filius est genitus cui cogitando patri:
Qui sibi perpetuum SACRO SPIRAMIME cœtum
Colligit, hunc verbo sed mediante regit:
Hic sine principio fuit, & sine fine manebit
Seruandis Dominus rebus ubiq; potens.
Per quem conuexi producta est machina cœli,
Auricommo cursum Sole tenente suum.
Materiam primam sine causis ille secundis,
Ex nihilo fecit cuncta potente manu.
Omnia formauit, sustentat & omnia nutu,
Res, nolente, leuis nec perit una, DEO.
Mille dedit rerum species hunc esse per orbem
Nomine discernens quæq; creata suo.
Hic & formosum modico de puluere Adamum
Condidit hac forma cui decor aptus inest.
Coniuge mox hominem solum donauit honesta,
Hæc fuit è proprio sumpta virago viro.
Cœtus & Angelicus factore creatus eodem
Nunc tenet ætherei lucida templa poli.

A iij

Sanctus

Sanctus Adam sed erat: sanctum quia fecerat ipsum,
Huic dederat sapiens autor & omne bonum.
Iunxerat & primos homines ubi foedere firmo
Casti coniugij quod graue pondus habet:
Obtulit his quondam Paradisum iure tenendum,
His simul ambobus commoda uera dedit.
Tali primus homo pro conditione beatus
Tunc habiturus erat coelica regna Dei.
Et sincera suo capiebat gaudia corde,
Cum status huic constans integritatis erat.
Apta DEI uiui quod in ipso fulsit imago,
Qua nihil in nobis pulchrius esse potest.
Humani generis pater appellatus habebat,
Cunctarum rerum ius sine fine datum.
Cognitio perfecta sui Factoris & ipsi
Adfuit, hanc firma est concomitata fides.
Archetypum retulit mens excultissima Christum,
Vnde & Adam Christi dulcis imago fuit.
Cor minus auersum scelerato crimine, veri
Ardebat casto semper amore DEI.
Et mandata DEI seruandi summa voluptas,
Nec fuit illicitæ stulta cupido rei.
Mirus amor mentem generosam cepit Adami,
Nosse Creatoris cuncta statuta sui.
Turpibus à Domino factis abducta voluntas
Nec fuit: hæc voluit nam placitura DEO.
Est satis

Est satis illa DEVM semper uenerata potentem,
Sicut & in uerbo se cupit ipse coli.
Dedita iusticiæ mirandæ mens fuit æqua,
Præstitit & factis cognita uerba bonis.
Hinc intellectu leges monstrante sequendas
Fecit Adam uenerans tempus in omne DEVM.
Infata uis positam faciendi libera legem
Vel non præstandi uis quoq; magna fuit.
Talis erat primi sanctissima uita parentis
Scilicet à uero non aliena DEO.
Immortalis homo fuit omni parte; fuisset
Posteritas simili tota beata modo.
Viuus & in cœlum raptu properante receptus
Esset, habens culti munera summa DEI.
Nec miseris nobis ita membra caduca fuissent,
Ut nunc sunt gelidæ præda parata neci.
Lurida nec tellus exanguia corpora nostra
Sic deturpasset uermibus usa feris.
Fregisset uires animales nec scelus omne,
Pressa nec his plagis morbida membra forent.
Si modò lethifero latitantis dente colubri
Morsus non esset sic temeratus Adam.
Est quia transgressus non transgredienda supremi
Iussa DEI Satanæ captus ab arte mala:
Muneribus, iusta causa, spoliatus & amplis
Pulsus & est grata sede, uolente DEO.
Angelus,

Angelus ad sistens Paradisi limen ad ipsum,
Hunc stricto gladio iussit adire fuit.
Expulit indigna serpentis fraude maligni
Deceptos homines: præcipiente DEO.
Aperta erepta est gratissima porta duobus,
Sunt nudum tergum tela secuta & adhuc.
Iustus heu lacrymas turbata fundere mente,
EVAM vidisses, pro gravitate mali.
Horribiles fletus, faciem foedeq; madantem
Vidisses roseas ora rigare genas,
Et desperantis singultum cordis inanem
Audisses qualem mens generosa dedit.
Spectora & immensus luctus compressa notabat,
Hic spes donatae nulla salutis erat:
Conscia mens sceleris damnans sed corda patrati,
Perpetuos ignes vidit adesse sibi.
Inferunt tristem quia læsi numinis iram,
Parua nec esse potest cum semel illa premit,
Et solet admotis rogos ingens urere flammis,
Quavis parte venit plurimus atq; calor.
Nec quis ad hos ignes crepitantes audet adire,
Externam lædat ne calor iste cutem.
Qui volet accensum sanus, vitare vaporem,
Corporis hinc remouet singula membra sui,
Pæditur accedens incautius omnis, & inde,
Cum gemitu, accepta clade, redire solet,

Taliter

Taliter ira DEI scelere est accensa nefando
 Vrere & humanum cepit ubiquè genus,
 Et patris hunc æstum cœlestis nullus adactum
 Crimine commisso sustinisset homo.
 Ni λόγος æterni nos fulgens Patris imago
 Ignibus his forti furripuisset ope.
 Placandam proprio qui sanguine sustinet Iram
 Vult omnes homines conciliare patri.
 Hic quoq̃ post casum miserandum mitis utrosq̃
 Accedit lapsos, pro pietate sua.
 Egressus fuerat Paradisi limen amœni
 Cernit Adam Stygios ad latus omne lacus.
 Iam trepidat primum nigros pellendus ad orcos
 Iam iam sulphureis iniiciendus aquis.
 Eua mali mater planctus edebat apertos
 Omnem se causam criminis esse sciens.
 Coniugis at flentis cum vox miserabilis esset
 Apparet subitò Filius ipse DEI.
 Hic læta reuocat damnandum voce & Adamum,
 Hic Euam reducem mandat & esse citò.
 Persephones, dicens, non regna subibis Adame,
 Euam nec reprobam Tartara nigra prement.
 Quanta putas animis ipsorum gaudia fractis?
 Solamen cordis quale fuisse putas?
 Damnato Christus postquam promissus Adamo est,
 Solueret ut patri debita λύτρα suo.

B Hic

Hic onus humano generi sic sine ferendum
In tergum sumplit uictima sacra suum.
Est intercessor pro nobis omnibus unus
Esset ubi poenas iam subiturus Adam.
Tempore sed pleno supera descendit ab arce
De pura genitus uirgine uerus Homo.
Passus ut armigerum patiendo uinceret hostem,
Mortuus est, dominus mortis ut esset atræ.
Ipse refugendo rupit plutonia septa
Victor ab hoste suo læta trophæa ferens.
Per quem mortales superata morte resurgunt
Summus ubi hoc mundi uindice finis erit.
Victori mortis qui norunt fidere Christo,
His neq̃ mors fidis ulla nocere potest.
Ac licet occultet peritura cadauera tellus,
Ipsa tamen uiuent mors ubi uicta cadet.
Tunc oculis Christum lætis per secula longa
Cernet ab æterna libera turba nece.
Verum uiuentes in terris crimina multa
Et Satanæ morsus uis inimica ferit.
Tristibus exponit quoq̃ nos sua membra periculis,
Affligi grauius dum sinit ipse, DEVS.
Nam uult agnosci peccatum quodlibet, aliam
Editus in lucem quod gerit omnis homo.
Punit & in nobis delicta patrata quibusuis,
Iusticiæ iudex ad scelus omne memor.
Vult

Vult omnes gnati similes & imaginis esse,
Qui retinent firma pectora plena fide.
Omnia casta facit Deus, & quoque casta requirit
Supplicio afficiens turpia facta graui.
Hinc peccatorum sunt poenae saepe prementes
Vel Sanctos homines qui sacra verba colunt.
Hinc, sine legitimis causis, fera bella mouentur
Et populus, florens qui fuit ante, iacet.
Hinc venit atque fames non grata in paupere tecto,
Est comes ex alia pessima parte lues.
Caetera quid recitem? neque possunt omnia dici,
Mentis & excedunt intima sensa meae.
Nullius in toto tanta est facundia mundo,
Possit ut haec numeris damna referre suis.
Praesens non igitur recitandis tempus & illis
Consumam, capiat cum neque carta breuis.
Cum mens prospiciat neque tanta incommoda, coeca:
Nec male culta mihi dicere lingua queat.
Quin potius Christi bonitas celebranda benigni,
Abstulit a sacro quod mala mille grege.
Qui sedet ad dextram, Patre cuncta regente, potentem
Postquam surrexit dans bona multa suis.
Victa surrexisse statim quem morte sciamus,
Res gereret magnas ut tribuente Patre.
Huic nos acceptum mortales omne feramus,
Turba DEO fidens quo DVCE salua manet.

B ij Laudemus

Laudemus crebro gemitu clementia facta,
Quæ Christus confert cœtibus ipse pijs.
Clades quòd nostris auertit ab ædibus omnes,
Vincula dum nobis nexa fuere pijs.
Parua quod humani generis quoq; massa remansit,
Hinc ut membra queant nobiliora legi.
Viximus incolumes & quod nos pluribus annis,
Omne Ducis Christi munus id esse scias,
Credere quis poterat præ tanto Dæmonis œstro,
Vno se saluum viuere posse die.
Nos tamen umbra boni uigilis protexit inermes
Retia multa quibus struxerat hostis atrox.
Sollicita ut pullos recipit gallina sub alas
Vultur ne implumes auferat hosce rapax.
Hos fouet expansis alis de nocte pusillos,
Astuti metuens hostica facta cati.
Perq; diem totum pauidè comitatur euntes,
Hos plumis nudos contegit atq; suis.
Nubigenos possint imbres depellere, fotti
Matris viuifico membra calore sua.
Sic quoq; nos timidos diuina potentia fouit,
Tristia vel mundo sæpè mouente mala.
Nos infirma sacri dum cætus organa texit,
Dilectæ pacis maxima dona ferens.
Imbribus in nostrum corpus recidentibus, omnes
Abstulit adiunctus noster hic ipse comes.
Frigore

Frigore nudatas partes tutatur ab acris
Languida ne lædat membra rigore suo.
Spicula grassantis Satanæ lethalia pellit,
Vlla ne possint parte nocere bonis.
Hoc ingens grato benefactum noscere corde,
Nos decet & mitem coucelebrare DEVM.
Hostiles validis manibus quod supprimit astus,
Cum nostros humeros proxima tela petant.
Iste etenim noster nocturnus & iste diurnus
Hostis in exiguo dat mala damna grege.
Vtq; lupus stimulante fame perreptat ouile,
Sub noctem teneræ quo retinentur oues.
Impauido aggreditur vel centum Marte bidentes,
Cum vigiles ouium sensit abesse canes.
Et nisi tunc canibus citò præueniatur ab ipsis,
Non prius hinc, donec grex cadat omnis, abit.
Strangulat hic agnos solito pro more trementes:
Possit ouis diram tollere sola famem.
Expleri ventrem nequit at: gaudetq; vorando,
Summas delicias hanc putat esse gulam:
Sic ferus & Satanæ munita ad ouilia Christi
Ambulat, ut miseras nos malè perdat oues.
Interdum rupto quadam vi limine templi,
Irruit in sacras nil prohibente domos.
Grassatur quauis per cœtum parte sacratum,
Paruum præsidium qui gemebundus habet.

B iij. Ac

Ac nisi mox ouibus pastor succurrat egenis,
Armis explodat pluribus huncq̄ Lupum;
Ni sanctum fidis famulis defendat ouile,
Omnis inhumana cæde periret ouis.
Nos igitur quotquot defensi viuimus omneis
Iam decet ardenti corde rogare DEVM.
Omnibus ut nobis adsit, regat atq̄ gubernet,
Quos sibi per verbum colligit ipse greges.
Et tranquilla suis det tempora cœtibus idem,
Grex magis ut quauis crescat in urbe sacer,
Posthac & meritas animoso pectore grates,
Dicamus nostro qui dedit ista DEO.
Quod sumus in tetrīs seruati sæpè ruinis,
Regnorum paret ciuica turba quibus.
Quodq̄ ignita licet vitare hoc tempora tela,
Quis sæuus Satanas corpora nostra petit.
Huius præsertim cum fit furor improbus hostis,
Vt sanctos vafra dissipet arte greges.
Hic vasto rugiens Leo sicut inambulat orbe,
Pabula conquirens faucibus apta suis.
Si genus humanum posset simul ore cruento
Deglutire, breues neceret ipse moras.
Sed tu, summe Deum, rabiem contundere tantam,
Vel solo nutu, vis modo quando, potes.
Insidiosa, manu forti conamina vincis,
Vt te declarent talia facta DEVM.
Quam sit sub rutilo tua magna potentia coelo
Testatur mirum conditionis opus.
Quolibet

Quolibet atq; die monstras tua robora nobis,
Dum ualida frangis pectora uana manu,
Præmia sed contra das omni certa timenti
Et patria fractum cor bonitate iuuas.
Fallaces reprobi Satanæ tu discutis artes
Promissam præstans ut pater almus opem.
Nos seruas miseros præsentis numine, possis.
Notior ut multis gentibus esse DEVS.
Hinc est officium nostrum, fator unice rerum,
Nosse tuum patriæ cor pietatis amans.
Quanta sit humanæ massæ dilectio, nunquam
Vlla suo flexu dicere lingua valet.
Nemo potest paribus tua munera reddere donis,
Quæ tua iam confert officiosa manus.
Ergo tibi nostro Tutori gratia tanta
Debetur, quantam mens modo grata capit.
Nobis his annis quod tempora fausta dedisti,
Defendens homines per tua tela probos.
Ut serues etiam balantes nos, pie Christe,
Tu nostrum, petimus supplice voce, caput.
Possit ut inter nos celebratum crescere regnum,
Incipis in nobis Lege quod ipse tua.
Ut mortale genus te noscat in orbe tonantem,
Inuocet ac placidum corde gemente Patrem.
Atq; ita nos omnes cœlestia gaudia iusti
Post pia fata, tua possideamus ope.
Et tibi fidentes possimus tempore quouis
Pollicitæ uitæ prosperitate frui.

Quilibet arq[ue] die monstrat sua robora nobis
Dum valida iungis pectora tuas manus
Pennis sed contra das omni cura iunctis
Et parva factum cor bonitate iungas
Falsos rep[ro]bi seruas in dilectis artes
Promissam prestans ne parer alius operis
Nos seruas miseris presenti munime, polsis
Nomen et miles gentibus esse DEVS
Hinc est officium nostrum, sacro iudice certum
Nolle tuum pariter cor pietatis amans
Quantas se humanar massae dilectio, mundum
Vlla suo flexu dicit lingua valeat
Nemo potest paribus tuis munera reddere deis
Quae tuas tam consist officiorum manus
Ergo tibi nostro Tuo gratia tanta
Debetur, quantum mens modo gratia capis
Nobis his annis quod tempora sauta dedisti
Descendens homines per tua tela propos
Ut serues quam balantes nos, pie Christus
Tu nostrum, petimus sup[er]bice voce, caput
Poisit ut inter nos celebratum crescere regnum
Incipis in nobis, ego quod ipse tuas
Ut morale genus te noscat in orbe conuenit
Innocet se placidum corde gemine partem
Adest nos omnes coelestis gaudia iusti
Post pia facta, tua possidamus ope
Et tibi libentes possimus tempore duoris
Pollicite tunc prosperitate tui



153028

AB: 153028

ULB Halle

3


003 486 044



86

[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar. The text is arranged in columns and includes several red initials and underlines.]





27

DE PRIMIS PAREN-

TIBVS LAPSIS ET RECEPTIS A
DEO INTERCESSIONE FILII:

&, de mirabili Ecclesiæ conseruatione per
Christum resuscitatum à mortuis,
Carmen elegiacum,

SCRIPTVM

A

MARTINO ALBRECHT
NISSENSI,

VVITEBERGAE,

1558.

